

fic Ecclesiam esse infallibilem regulam proponendi & distinguendi res fidei, est articulus fidei credendus: sicut & ceteri articuli per fidem infusam, & hoc est quod dicitur in symbolo, Credo unam sanctam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

Notandum est secundò, quod non potest uerti in dubium, an Deus sit primum fundamentum, & principium totius ueritatis, tam naturalis, quam supernaturalis: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminis, ut inquit Iacob. cap. 1. sed quod uersatur in disputatione est de ratione obiectiua & formali credendi, & de regula credendorum explicitè, an sit interius testimonium, an uerò ecclesie prædicatione, uel doctrina.

Sit igitur prima conclusio. Ut in plurimum, & secundum legem ordinariam, necessaria sunt reliqua exteriora motiua, quibus homines inducantur suauiter ad recipiendam de nouo fidem infusam, uel etiam ad distinctè credendum, que credenda sunt. Hæc conclusio inductione facta a singularibus probari potest. Et primò argumentis propositis in principio huius dubitationis. Præterea Ioan. 1. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Ecce quo modo prædicatione Ioannis disposuit mentes illorum, ut crederent in Iesum, & c. 4. Multi Samaritanorum crediderunt in Christum propter uerbum mulieris testimonium perhibentis, imò & Ioan. 1. cap. Nathanael credidit explicitè in Christum, quoniam iam antea erat fidelis, cui respondit Iesus, & dixit, quia dixi tibi, uidi te sub ficu, credis? Certè quia illud fuit motiuum, ut responderetur ad fidem explicitam Christi. Præterea Acto. 8. 1. Philippus mittitur ad Eunuchum, ut cum doceret explicitam fidem Christi. Similiter capit. 13. Petrus ad Cornelium, & capit. 15. Paulus ad Lydiam purpurariam, & capit. 13. Sergius pro consul uidens miraculum, quod Paulus fecerat, credidit admirans super doctrina domini, & Luc. 23. uidens Centurio que fiebant, dixit, uerè filius Dei erat iste. Et denique Apostoli prædicauerunt ubique domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Probarur præterea conclusio ratione. Nam gentilis, qui nunquam habuit prædicationem uel testimonium al quod

A exteriorius circa doctrinam fidei excusatur a peccato infidelitatis, ut colligitur ex Io. 15. Si nõ uenisset, & loquur' eis nõ fuisset, peccatum non haberet, quod merito explicat Aug. de peccato infidelitatis. Etenim alia peccata habere poterant, etiam si Christus non uenisset. Ceterum quod diximus in conclusione, & secundum legem ordinariam necessaria esse huiusmodi motiua disponentia ad fidem de nouo recipiendam, uel explicandam, propterea dictum est, quia hæc conclusio non contrariatur doctrinæ. D. Tho. in 1. 2. quæst. 89. artic. 6. ubi docet, quod tenetur homo cum primum uenerit ad uisum rationis cõuertere se in Deum, quod si fecerit, consequitur per gratiam remissionem peccati originalis, ergo tunc recipiet fidem sine prædicatoribus, uel aliquo externo motiua inducente ad fidem supernaturalem. Loquimur de homine, qui est inter gentiles nutritus, ubi prolixè nihil audiuit de doctrina Euangelica. Hæc enim doctrina. Diu Thomæ quamuis uerissima sit, tamen raro continget huiusmodi euentus. Quod si aliquando euenere aliquem ita iustificari, dicendum est, quod tunc sicut ipse Deus sua misericordia præuenit hominem illum auxilio supernaturali, & efficaci, ut conuertatur: ita illuminat infundendo fidem, & per consequens proponendo illi, aliquid obiectum supernaturale, quod explicitè credit, uerbi gratia, quod Deus sit iustificator impij, & remanerator supernaturalis, alioquin iustificaretur ille homo sine fide Christi implicita. Quod ita demonstratur. Si enim ille homo nihil credit explicitè de Deo, ut de supernaturali obiecto, non potest credere implicitè in Christum. Nam quod implicitè creditur, necesse est, contineatur in aliquo explicitè credito, constat autem, quod Christus non continetur, ne implicitè quidem in aliqua naturali cognitione, uel in aliquo naturali obiecto, sed in supernaturali cognitione, de supernaturali obiecto habita, ergo talis homo debet cognoscere explicitè aliquid obiectum supernaturale in quo implicitè contineatur Christus, & eius fides.

B

C

D

E

Secunda conclusio. Assensus fidei nostre nõ potest reduci ad fidem acquisitam, qua credimus, Ecclesiam esse ueracem tanquam in regulam, uel rationem formalem credendi. Hæc conclusio tã certa est, ut oppo-